



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

De sacris bellis Lvdovici Pii Imperatoris. Cap. XV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**



*De sacris bellis LUDOVICI PII Imperatoris.*

## C A P. XV.

*IX. Brabatie  
Dux Ludovicus Pius  
Imperator.*

**L**UDOVICVS, vt scribit Stephanus Abbas, post patris obitum Imperialia sceptrā vt nullus dignius suscipiens, præter cetera quæ bello fortiter gessit, maxima suę pietatis monumenta exhibuit. Ad faciendas namque iustitias, & oppressiones Ecclesiarum & populorum releuandas, legatos idoneos in omnes regni sui prouincias mittens, quæque corrigenda inuenire potuit, corrigere atque emendare sapienter curauit. Sed & (quod magis in Imperatoria dignitate mireris) de cunctis quæ publicè perperam gessit, Theodosij Augusti exemplo publicam egit poenitentiam.

Tametsi verò pius iste Imperator pacis & legationum pacis fuerit amantissimus, gessit tamen bella quædam contra populos ac principes ab obedientia deficientes. Fuerunt ea, vt ex annalibus rerum ab eo gestarum constat, contra Sorabos, Vascones, Danos, Bernhardum Italiæ Regem, Britones, Lundewitium Pannoniæ inferioris Ducem, Sclao-  
mir Regem Abotritorum, & Abulaz Regem Sarracenorum.

Eodem imperante Gallias Nordmanni grauius infestarunt. Vastatur Dorestadum, & Andouerpum oppidum, Witlani emporium situm iuxta ostium Mosæ incendunt, à Frisonibus



nibus tributum accipiunt, Walachriam insulam depopulantur, & tributariam faciunt. Quid tunc Ludouicus egerit, non legi. Fortassis, Deo ita disponente, Nordmanni eum alibi occupatum anteuenterunt. Nam & Concilium Meldense Nordmannos vocat dignos meritis nostris Apostolos.

*In prefatione tom. 3. Concil.*

*De sacro bello LOTHARII Imperatoris, postea monachi Prumiensis.*

C A P. X V I.

Q V I D de Lothario dixerim, ait Stephanus, cuius potentia fuerit, vel quale humilitatis exemplum posteris reliquerit? Ipse maior natu, maior virtute & imperio, diuidens regnum cum duobus fratribus Carolo & Ludouico, regnum, quod haecenus ex eius nomine nuncupatur, fortitus est, nec non & omnia Italiae regna cum ipsa Romana vrbe Augustus Imperator obtinuit. Qui etiam paternae religionis haeres existens post plurima tam sapienter quam fortiter gesta regnum filiis suis diuisit; relictoque saeculo, ac sanctae conuersationis habitu suscepto, in hac monastica professione cursum vitae feliciter consummauit.

*x. Brabantie Dux Lotharius Imperator.*

*In vita S. Modealdi.*

Quod ad sacra eius bella attinet, vnicum illud fuisse videtur quod cum fratribus suis contra patrem suum cum Iuditha peccantem insurrexerit. Neque enim rebellio dici potest, vbi legitima summi Pontificis interuenit